

faciant, & crimina corrigant; qui cum ad Sedem Apostolicam redierint, redeant fatigati quidem, sed non suffarinati: simul & gloriantes, non quod curiosa, seu pretiosa quaque terrarum attulerint; sed quod reliquerint pacem Regnis, legem Barbaris, quietem Monasteriis, Ecclesijs ordinem, Clericis disciplinam, Deo Populum acceptabilem, Sclatorem bonorum operum. Et ep. 290. Nonne alterius Seculi res est, rediisse Legatum de terra auri sine auro, transisse per terram argenti, & argentum nescisse? Hinc frequens Pontificum, atque Conciliorum Sanctiones, quæ Legatorum in exigendis procuracionibus excessum non semel castigant, atque intra moderatos necessitatis limites, ut nulla Ecclesia, vel Prælatu se indebite prægravari rationabiliter conqueri possit, concluderunt. C. 17. & 23. de Censibus.

Quantum ad secundam partem, immoderate hujusmodi exactiones ansam hæc deprecationibus dederunt, simul & præteritioni, ut nonnulli Principum consensu explorato Legati ne mitterentur. Hinc Alexander III. Ludovicum VII. Galliarum Regem oravit, ut Thomam Cantuariensem Episcopum per Gallias Legatum creari patere- rit, ep. 20. Et Callistus II. A. 1129. Henrico Angliæ Regi concessit confirmationem antiquæ consuetudinis, ne Legatos nisi eo petente mitteret, teste Rege- rio. Qui mos in alia quoque Regia subinde propagatus est, teste Thomasi. p. 1. lib. 1. c. 119. N. 5. & seqq.

11. Legatorum tum à Latere, tum Nuntiorum Apostolicorum amplissimæ potestati modus statuminatus est in Tridentina Synodo; illaque, sicut & potestas Legatorum Natorum ex jure communi metiri jam tuto nequit, sed ex mandatis, Privilegiisque Apostolicis definienda est.

Quantum ad primum Trid. Sess. 24. c. 20. de Ref. Legatis Apostolicis mandat, ne Episcopos in quibuscumque Causis ad

Forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, etiam Beneficialibus, quantum ad primam instantiam, non solum non impediant, aut aliquomodo eorum jurisdictionem iis præcipere, aut turbare non præsumant; sed nec etiam contra Clericos, aliasve Personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisiti, etoque negligente procedant; & Sess. 22. c. 7. de Ref. in appellationibus tenentur servare tenorem cap. Romana de appellat. in 6.

Quantum ad secundum, Abbas jam ipse annotavit in Cap. finali de Confirm. utili, &c. adeo fusorie, & generaliter de officio Legati in Jure Canonico tractari, ut vix constitui possint ea, quæ jure Legationis proprie ad Legatum pertinent: unde & nos, quæ de Legatis in commune diximus, sic intelligi volumus, ut Lector certum putet, Legatorum quorumvis facultates, & auctoritatem, sicut in omnibus aliis, sic & in materia ista pendere ab ipsa Concedentis liberalitate. Quapropter ex contextu Literarum Apostolicarum, in quibus facultates à Summo Pontifice iisdem concessæ leguntur, de eorundem auctoritate, & potestate est judicandum. Sic longe amplissimæ sunt Reverendiss. ac Celsiss. S. R. I. Principibus, ac D. D. Archiepiscopis Pragensibus, qua Legatis Natis, ad instantiam Gloriosissimi Imperatoris, & Boemiæ Regis Caroli VI. concessæ; utpote quod in Bullis (quas in ipso originali ab Urbano V. Avenione V. Kal. Junii Pontifici. A. III. expeditas de speciali benevolentia mihi inspicere, & scrutari licuit) per Provinciam Pragensem, quæ in Regno Boemiæ consistit, nec non & per aliquot alias vicinas Dioceses Sanctissimus *Vices suas, & Legationis Officium iisdem perpetuo concedat.* Quorum prægnantia verborum (*vices suæ à Legationis Officio distinctæ*) proculdubio singularem quamdam facultatem, & auctoritatis amplitudinem satis superque declarat.

De Majoritate, & Obedientia.

1. Præfenti Titulo, qui ultimus hoc libro commendandus venit, recensenda foret, ac velut in tabella exhibenda Divina prope S. Romanæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Hierarchia; verum cum illam jam sparsim, ipso opusculi scopo ita exigente, delineaverimus, agendo Titulo VI. de Papa, de Patriarchis, de Exarchis, de Primatibus, de Metropolitanis, seu Archiepiscopis, & de Episcopis; Titulo XI. de Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Lectoribus, Acolythis, Exorcistis, & Ostitariis; Titulo XXIII. usque ad XXVII. inclusive de Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Dignitatibus, atque Officiis Ecclesiasticis minoribus; Titulo XXVIII. de Vicariis variis generibus; tandem Titulo XXX. de Legatorum itidem variis speciebus; eorumque Majoritatem, & respectivè obedientiam, quantum æconomia suscepti operis fert, explicaverimus; de S. R. E. Cardinalibus historicam commentationem, hucusque desideratam, suscipimus, cui Contraversiam gravissimam de Episcoporum supra Presbyteros majoritate Jure Divino sancta, atque ab Heterodoxis negata, subnectemus.

2. S. R. E. Cardinalium nomine veniunt Eminentissimi illi Viri Ecclesiastici, qui sive ex Clero Sæculari, sive ex Regulari assumpti, cum Romano Pontifice Supremum Ecclesiæ Catholicæ Senatuum constituunt.

Hoc elogio S. Bernardus lib. 4. de Consideratione illos exornat, ubi Eugenium Papam ita alloquitur: *Tuum est undecumque evocare, & asciscere tibi, exemplo Moysi, senes, non juvenes; sed senes non tam ætate, quam moribus, quos tu nasci, quia senes Populi sunt.* Nonne

eligendi de toto Orbe, Orbem judicaturi? Quo & majoritatem hujus Eminentissimi Collegii supra omnes Episcopos Palæ inferioribus graphicè exprimit, & lingularum obligationem conandi excellere omnes Christianos vita, & moribus, pio lacrimis exponit.

3. Si rem spectare velimus, non eminentiæ prærogativas; Cardinales, seu Cardinalitius Senatui à primis Ecclesiæ Sæculis Romæ viguit.

A primis enim Sæculis consuetum fuit Causas majores, uti fuerunt hæreticorum, Appellationum, &c. Romanis Pontificis judicio committere (quod, sicut hic probare esset facile, ita non est necesse): quibus dissentendis in adiutorium utique adhibuit Romanum Clerum, vel factum ejus Primores. Qui proinde munus Cardinalitium primarium obierunt.

4. Cardinalitius tamen Titulus non videtur illis Sæculis adhuc fuisse in usu; fuit tamen in usu ante Gregorium M. tempora, sub quo jam viguit Cardinalium distinctio in Episcopos, Presbyteros, Diaconos, quin & Subdiaconos; quibus tamen non indicabatur Collegium aliquod Romanum moderno simile.

Primum membrum aseritur ex silentio Scriptorum, vel ex amissione monumentorum.

Secundum ex eo, quod Pelagius Gregorii Antecessor apud Gratianum Dist. 24. Can. 3. *Visitatorem* Ecclesiæ expressis verbis distinguit à Cardinali, seu Titulari ejusdem Episcopo; & apud Augustinum Sæculo V. nomen Episcopi Cardinalis occurrit.

Tertium inde, quod idem Sanctissimus Pontifex Cardinales tum Episcopos, tum Presbyteros, tum Diaconos suis in episto-

lis Sæculo VII. sæpe nominat, ut lib. 1. ep. 15. 76. 77. 78. lib. 2. ep. 81. &c. quin & Subdiaconos lib. 3. ep. 7. &c.

Quartum tandem inde, quod non in sola Romana, sed etiam in aliis Ecclesiis, quisquis olim fiebat Ecclesie alicujus Episcopus *Titularis*, is dicebatur loci illius Episcopus Cardinalis: similiter qui *Primarius*, aut *Titularis* sive in Ordine Presbyterorum, sive Diaconorum Ecclesie ejusecunquæ esset Beneficiarius, is Presbyter, aut Diaconus Cardinalis audit: uti demonstrat Thomassinus de vet. & nova Eccl. discipl. lib. 2. c. 115. ex Epistolis S. Gregorii M. mox relatis. *Titulares* autem Episcopi dicebantur, ut distinguerentur à *Commendatariis*, quibus subinde, temporum ratione ita exigente, Ecclesie ad tempus commendabantur. Presbyteri similiter *Titulares*, ad distinctionem aliorum Parochie Presbyterorum, quibus præerant tanquam Sponsi, & Rectores Ecclesie. Nec aliter res se habebat in Diaconis; ex pluribus enim Diaconis unius Ecclesie, sive Tituli, præsertim Romæ, unus erat *Titularis*, & *Primarius Beneficiarius*, eisdem Tituli & cura & regimine in sua sphaera oneratus; reliquis ad Episcopi jussa alibi exequenda, varique munia obeunda, paratioribus. Dicebantur quoque hi Cardinales posteriores Archipresbyteri, & Archidiaconi.

5. Tempore Gregorii Magni non dicebantur nisi Urbium Episcopatum seu Presbyteri, seu Diaconi, Cardinales; posthac etiam Ruri constituti sunt Cardinalitii Tituli.

Prima pars colligitur ex cit. Gregorii M. Epistolis, unde Joannes Diaconus in ejus vita lib. 3. c. 8. univèrsim ita pronuntiat: *Item Cardinales violentè in Parochiis ordinatos forensibus, in pristinum Cardinem revocabat*: id est, Cardinales, quos à suis Titulis Romanis contra eorum voluntatem avocatos Parochiis Ruralibus præficerat, ad pristinos Titulos revocavit. Item ex ep. Zacharie, Gregorii

Succelloris, relata Conciliorum Gallie Tomo 1. pag. 564. in qua ad Pipinum Regem scribit: *De Presbyteris agrorum, quam obedientiam exhibere debeant Episcopis, & Presbyteris Cardinalibus*, hoc est, *Cathedralibus, &c.* Quoad Episcopos autem Cardinales, eos tantum ex nomine donasse videtur Joannes Diaconus, qui suis ab Ecclesiis hostium, vel Civium malitia ejeti, in alias vacantes transferebantur, ea conditione, ut si aliquando liberum ipsis fieret ad Sedes relictas redire, ad illas postliminio revertentur. *Desolatæ Civitatum Pontifices Gregorius vacantibus Civitatibus incardinare curabat*. Lib. 3. cap. 5. Interim tamen S. ille Pontifex Lib. 2. ep. 25. & alibi Episcopos *Titulares* vocat Cardinales.

Secunda pars ex eo liquet, quod sub Carolo M. seu Sæculo IX. in Gallicanis Ecclesiis Tituli Cardinales essent non tantum Ecclesie Urbis Episcopalis, sed etiam Ruris, in perpetuum erectæ Titulum; & consequenter Presbyteri, vel Diaconi illis intulati Cardinales. Et ita interpretandus venit Canon 54. Concilii Meldensis A. 875. *Ut Titulos Cardinales in Urbibus, vel Suburbis constitutos, Episcopi & canonicè & honestè sine retractatione ordinent, & disponant.*

6. Romæ Sæculo VIII. & non citius, præter Cardinales Presbyteros, & Diaconos, Cardinales Episcopi commemorantur.

Eos enim Anastasius Bibliothecarius in vita Stephani III. qui sedit A. 768. apud Coletum tomo VIII. Conciliorum col. 473. ait, ab ipso tum primum esse institutos: *Hic statuit*, inquit, *ut in omni Dominico die à septem Episcopis Cardinalibus Hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris observant, Missarum Solemnia super Altare B. Petri celebrarentur.* Qui locus, ut desideratam lucem accipiat, observandum ex B. Petri Damiani lib. 2. ep. 1. hos Episcopos devotos, affixosque fuisse Ecclesie Lateranensi, quæ prima est & Princeps omnium Orbis Ecclesiarum, &

& ad quam pietatis ergo advolabant Fideles, ex longinquis etiam Regionibus, & in qua Sacra Mysteria celebrabat nemo, nisi Pontifex, & septem illi Episcopi, qui proin dicti sunt Episcopi Cardinales S. Joannis Lateranensis. Fuerunt ergo hi Episcopi Cardinales, ex antiquo Rituali Libro Ecclesie Romanæ, Cooperatores, & Collaterales Summi Pontificis, quod ejus vice Pontificalia exercerent munia, hebdomada quisque sua, in Ecclesia Lateranensi. Ad hoc autem munus ex Metropolitanis Romanæ Suffraganeis propinquioribus assumpti sunt *Albanensis, Ostiensis, Portuensis, S. Rufinæ, Tusculanus, Prænestinus, & Sabiniensis*. In quorum Sedibus Tituli Cardinalium Episcoporum, adnotat Portuensi, & S. Rufinæ, permanserunt usque ad nostra tempora, ut infra N. 17. videbimus. Adverte circa institutionem horum Cardinalium Episcoporum hallucinari tum Thomassinum, qui p. 1. lib. 2. c. 116. N. 2. eam tribuit Stephano IV. Sæculo IX. sedenti; tum etiam Onuphrium Panvinium lib. de *Episcopatibus, Titulis, & Diaconis Cardinalium* pag. 13. id circa Sæculum XI. & XII. factum asserentem. Ambo enim, allato testimonio Anastasii, id Stephano III. non IV. ut vult Thomassinus, tribuenti, refelluntur.

7. Præter hos Episcopos Cardinales, nulli aliarum Sedium Antistites hoc Sæculo VIII. Cardinales simul Ecclesie Romanæ leguntur.

Huic assertioni non obstat authoritas Adriani II. qui dum Agardum Nannetensem Episcopum ad Archiepiscopatum Turonensem transtulit, Cardinalem Metropolitanum vocavit; quo etiam vocabulo usus est Joannes VIII. ubi Fortarium Burdegalis Biturgias transportavit, ep. 13. cum eo verbo tantum velint exprimere proprium Titularem, atque perpetuum institui Metropolitanum, non temporarium, aut commendatarium, quemadmodum jam notavimus.

8. Eodem Sæculo VIII. quamvis res, & Titulus Cardinalitius communis esset omnibus hucusque enumeratis, Episcopatum, Parochiam, vel Diaconiam in Orbe Christiano in Titulum, non in Commendam possidentibus; Romani tamen Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales aliis eminebant, & tales quasi antonomastice dicebantur.

Propositio plana fit ex decreto Synodi Romanæ sub eodem Stephano III. Collectæ. Coletanæ eodem Tomo VIII. col. 485. in quo anathema dicitur vel ipsis Episcopis, si contra Canonum, & Patrum Statuta in gradum majorem S. Romanæ Ecclesie, id est, Presbyterorum Cardinalium, & Diaconorum ire præsumperint. Episcopi ergo Cardinalitium Dignitatem, esto adhuc multum à moderno fulgore elongatam, jam tum ambiebant, sed non obtinebant: per quod præcedens propositio demonstratur. Hic iterum adverte, Canonem illum, quem Thomass. ex Holstenio falsè Stephano IV. adscribit, rectè referri dist. 79. Can. 5. ex Concilio Romano sub Stephano III. quem errorem neque emendavit Coletus, Concilium istud ad A. 769. sub Actis Stephani III. referens, & Acta ejus nihilominus ex eodem Holstenio, Stephano IV. medio Sæculo posteriori, adscribens. An vero ambitus ille Episcoporum in Cardinalitiam Presbyteralem, quin Diaconalem Dignitatem, propter se ipsam nude; an vero quia gradum ad apicem Pontificatus sternebat, tetenderit? dubitari potest; tum quod in dicto Canone mox subditur: Et hanc Apostolicam Sedem invadere quilibet tentaverit; tum quod, teste Onuphrio lib. cit. usque ad Gregorii VII. tempora, seu usque ad Sæculum XI. Cardinales Presbyteri, & Diaconi nullum Episcoporum Dignitate præficerint; quin & Episcopi, qua Cardinales, alios non præcederent, nisi aliunde præcedente titulum haberent; v. g. prioritatem Ordinationis. Quam disciplinam Zerola extendit

dit usque ad Clemenstem V. & Joannem XXII. de quo nos statim. Et Barbosa lib. 1. Juris Eccl. C. 3. N. 17. ait: *Usque ad tempora Bonifacii VIII. seu ad Sæculi XIII. finem nullus erat Episcopus, qui vellet fieri Presbyter Cardinalis, quia putabant non licere descendere à majori Dignitate ad minorem. Et si aliquis Episcopus Cardinalis fiebat, Titulo Episcopali ex septem honorabatur, quod, teste Onuphrio, fieri cepit Sæculo XII.*

9. Sæculo XI. Cardinales Episcopi cum Presbyteris, & Diaconis in unum corpus jam coaluerunt, atque cum Romano Pontifice Supremum Ecclesiæ Senatorem constituerunt.

Prima pars constat ex Actis electionis Gregorii VII. ubi tres hi Ordines, seu individuum Collegium, in his verbis exprimitur: *Nos Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Cardinales;* & deinde subiungitur: *Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Presbyteri,* qui reliquus est Clerus Romanus; ac tandem: *Præsentibus Episcopis, Abbatibus, &c.*

Secunda vero ex Adeodato Presbytero Cardinali, qui A. 1087. suam Juris Collectionem Papæ Victori III. & Clero Ecclesiæ Romanæ, id est, *Sacro Collegio* dicavit, teste Baronio ad A. 1087. N. 22. Porro in ipso operis vestibulo declarat ille, jam inde à Cypriani temporibus moris fuisse, ut Clerus Romanus, mortuo etiam Pontifice, Ecclesiæ universalis clavum capesseret, regeretque; literas perscriberet, quibus non illibenter morem gererent Episcopi; Petri, & Pauli Apostolorum auctoritatem vivacissimam, & nunquam intermouituram in Ecclesiæ Romana semper vivere, semper vigere. Qui locus insignis est pro majoritate S. R. E. Cardinalium; quæ tamen tanta non fuit in singulis Romani Cleri membris tempore S. Cypriani, seu Sæculi III. medio, quanta fuit tempore S. Gregorii VII. Sæculo XI. quemadmodum mox videbimus.

10. Non tantum Cardinales Episcopi, sed etiam Presbyteri, & Diaconi, hoc & sequentibus duobus Sæculis aliis Episcopis, imo & Primatibus, atque Patriarchis præferri, atque ante ipsos in publicis Conventibus federe cœperunt.

Et quod Episcopi Cardinales Patriarchis præferri cœperint, docet S. Petrus Damiani lib. 1. ep. 20. his verbis: *Quid tibi de Cardinalibus videtur Episcopis, qui videlicet & Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam aliis prærogatis non modo quorumlibet Episcoporum, sed & Patriarcharum, atque Primatum jura transcendunt? Quantum ad alios, id constat ex subscriptionibus Concilii Romani A. 1059. ubi non tantum Episcopi, sed etiam Presbyteri, & Diaconi Cardinales Archiepiscopis, & Episcopis præponuntur. Hanc Cardinalium omnium supra alios elevationem Thomassinus p. 1. lib. 2. c. 113. N. 2. lentissimis factam dicit incrementis, illic plurimum contulisse frequentissimas Legationes, quibus illo Sæculo ornabantur non tantum Cardinales Episcopi, sed etiam alii (hoc Lib. Tit. 30.); ita enim factum ait, ut inopinè insuerecent Episcopi illis concedere etiam tum, cum nullam Legationem exercerent. Res tamen hæc illis Sæculis necdum fuit stabilita; cum legatus apud Baronium ad A. 1196. N. ult. Romæ factam Ecclesiæ dedicationem, cujus inscriptione declarat primo, qui affuerint Archiepiscopi, deinde qui Episcopi Cardinales, postea qui Episcopi alii, tum deinde tota Curia Cardinalium, hoc est, ut Thomassinus interpretatur, Cardinales Presbyteri, & Diaconi. Et in Synodo Romana A. 1015. sub Benedicto VIII. plures subscribere Episcopi alii, non solum ante Cardinales Presbyteros, sed etiam ante Episcopos ejusdem Sacri Collegii, prout vel Archiepiscopi erant, vel Ordinationis ævo seniores. Et Episcopos Cardinalibus semper præfert Alexander III. A. 1162. At quamvis eodem Sæculo omnes Cardina-*

les

les indifferentiati, dum in Gallias cum Romano Pontifice pervenerunt, à Galliarum Archiepiscopis, Episcopis, quin & Regibus summis honoribus afficerentur, & Sæculo XIII. in Concilio Lugdunensi in eminentiori ante Archiepiscopos loco, imo & in Lugdunensi II. eodem Sæculo ante Latinos Constantinopolitanum, & Antiochenum Patriarchas sederent; hæc tamen illorum eminentiam usque ad Sæculum XV. extra omnem controversiam aleam positam non fuisse, patet ex libris, quas adhuc moverunt quidam Angliæ, Poloniæ, & Galliarum Præfules, de quibus vide Thomassinum p. 1. cit. c. 114.

11. Cardinalium, post Romanum Pontificem in Ecclesia Catholica, & Ecclesiastica Hierarchia Dignitatem, lentis progressibus evectam, atque in Concilio Lugdunensi I. & II. stabilitam, Sæculo XV. vindicavit, & confirmavit Eugenius IV. quæ usque hodie imperturbata perseverat.

Occasionem eidem Pontifici dedit Archiepiscopus Cantuariensis, reuens cedere Archiepiscopo Eboracensi, Purpura recens à se donato. Spondanus ad A. 1440. N. 31. In hac epistola contendit Pontifex, Cardinalatum ab ipso B. Petro, aut potius ejus Officium institutum: *Ut quemadmodum Christo conversanti in terris assistebant Apostoli; ita etiam Cardinalium Cætus, Apostolicum representans Collegium, coram Papa assideret; reliqui vero Episcopi, ubique diffusi, Apostolos representant ad prædicandum per Orbem missos;* verba sunt Pontificis. Post hæc sub Urbano VIII. Sæculi XVII. initio, decretum fuit, ut jam non *Illusterrimi*, sed *Eminentissimi* vocentur, huncque titulum non esse communicandum, nisi solis Electoribus Ecclesiasticis Imperii, & vetitum Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, atque Prælatibus sub pena anathematis titulum illum assumere.

12. Hanc Cardinalium eminentiam Romani Pontifices testatam voluere splen-

didissimis insigniis, Purpuratis hæc Patribus subinde collatis.

Galero purpureo donati sunt ab Innocentio IV. A. 1244. teste Thomassinus: censent aliqui id perfectum esse in Concilio Lugdunensi I. ut Cardinales invitarentur ad amorem fundendi pro Ecclesia sanguinis, in quam tum Fridericus Imperator ea tempestate maxime sæviebat. Paulus II. teste Cardinali Papiensi Comment. L. 2. pag. 370. Sæculo XV. usum Mitræ sericæ Damasceni operis, rubricæ Capicia insidem indultit, quibus soli Romani Antistites antea utebantur; pannoque ejusdem coloris eorum equos sterni iussit, dum equitarent, teste Platina apud Spondanum ad A. 1464. N. 17. Advertit autem Thomass. p. 1. cit. c. 113. N. 8. Si quibus non facilis videatur consensus hujus Cardinalium Purpure, & reliquæ eorum pompæ, cum ea mundi pomparum abdicatione, modestia, humilitate, & temperantia, quam Christiana præferret, & profiteretur Religio; legant, quæ de S. Carolo Mediolano scriptis Giosanus in suis de ejus vita Commentariis: nec enim alio vel oculo, vel animo Carolus Purpuram spectabat suam, quam ut incrementum quoddam, & authoramentum ad martyrium. Imo dum Cardinalibus ipse aliis inuitatos illos honores exhibebat, sibi que ab aliis exhiberi volebat, qui vulgo eis impendantur, ab Optimatibus etiam, Principibusque non ventoso supercilio, non inanium mundi honorum turpi cupidine id faciebat; sed ut vel Principes, & Reges ipsi Christum, Christum Ecclesiam in suis Ministris tanto religiosius venerentur. Lib. 8. c. 3. Qui ea mente hanc Purpuram, Christique Ministrorum Pontificum contemplantur, quæ eam, præter S. Carolum, Cardinales Baronius, Bellarminus, Berilius, pluresque alii contemplantur, & hodie dum contemplantur, illis ea non potest non videri pulcherrima, utpote cæremonia aptissima, & convenientissima (hoc Lib. Tit. 8. N. 49. 49.) parati

parati pro Christo ejusque Ecclesia fundendi sanguinem animi in principalibus suis membris significativa.

13. Galerius purpureus ante Clementis VI. tempora, hoc est, ante Sæculi XIV. medium Candidatis non mitebatur, sed Romæ manibus Pontificis trahebatur.

Non enim diu ante hunc Clementem A. nimirum 1316. teste Raynaldo N. 29. Joannes XXII. interpellatus à Gallia Rege Philippo, ut recens creato Cardinali Gallo pileum mitteret, id recusavit, atque pisco more, quo id minime liceret, excusavit. *Quia nec Prædecessores nostri Romani Pontifices consueverunt extra Curiam hujusmodi pileos mittere:* verba sunt Pontificis. Clemens autem VI. cum Sacro Collegio adscripsisset Abbatem S. Dionysii, pileum misit, concrediditque tribus Episcopis cum epistola: protestans, id ad se fieri *contra antiquum morem* mox recensitum, qui subinde abolitus est.

14. Sub Paulo II. Cardinales videntur usi fuisse galeris in Consultoriis, quibus nunc utuntur in publicis equitationibus.

Id colligit Victorellus in additionibus ad Ciaconium ex metallicis iconibus hujus Pontificis, quibus insculpti exhibentur Cardinales omnes cum galeris suis.

15. Cardinalium numerus pro diversitate temporum varius fuit.

Cum enim Ecclesiæ Romanæ Cardinales, quemadmodum aliarum Ecclesiarum, essent Presbyteri, & Diaconi, qui Ecclesiis, & Titulis Presbyterorum, aut Diaconorum erant intitulati, seu *incardinati*, tamquam *fixi*, & *proprii* Ministri; eorum numerus juxta numerum Titulorum emetiendus est. Narrat autem Onuphrius lib. supra cit. initio 14. Diaconias per totidem Urbis Romanæ Regiones fuisse distributas, quarum Cardinales hospitibus, & pauperibus, &c. inserviebant; his subinde additos 4. alios Cardinales Diaconos, ad ministerium Pontificis, in Lateranensi Basilica celebranti, delinatos.

Quibus Sæculo XVI. insolito exemplo à Leone X. adjuncta fuerit Diaconia S. Onuphrii in Vaticano. Titulos vero Presbyterorum Cardinalium Sæculo VI. fuisse 28. Quibus si addantur Episcopi 7. cum 18. Diaconis, efficiunt Cardinales 53. Quem numerum ibidem asserit usque ad Honorii II. seu ad Sæculi XII. tempus perseverasse, quo minui cepit, & ad incertum numerum sensum delabi; ita ut, eodem teste, tum ad eam paucitatem subinde redacti essent, ut non forent nisi 7. Cardinales viventes, videlicet 3. Presbyteri, & 4. Diaconi, quando creatus fuit Nicolaus III. A. 1277. ibidemque notat, post illius tempora eorum numerum rursus augeri cepisse. Et quidem post mortem Clementis VI. A. 1352. à Cardinalibus unanimiter statutum fuit, ne posthac plures essent, quam 20. At postquam famosum, & pertinax Schisma jam ab Urbano VI. qui senescente Sæculo XIV. sedit, Ecclesiam laceraret, & ipse Urbanus à suis se proditum dolens Cardinalibus, una die 28. aut secundum alios 26. novos creare coactus esset, & post ipsum famosi illi Romanæ Sedis prætendentes Benedictus dictus XIII. & Gregorius dictus XII. cum Joanne XXII. alias XXIII. legitimo probabilissime Pontifice suis stipatos se velent Cardinalibus, adeoque tria Purpuratorum prodirent Collegia; in magnam eorundem multitudinem numerum excrevisse necessum fuit: quem Concilium Constantiense, respirante à diro Schismate Ecclesia, A. 1414. Sess. 46. aut potius 43. ad viginti tres reduxit: jussitque, eos ex omnibus Christiani Orbis partibus, proportionem servata, quantum fieri poterit, assumi, ut notitia causarum, & negotiorum facilius haberi possit. A quo tempore usque ad Leonem X. hic numerus fere observatus est, teste Thomasio p. 1. cit. c. 114. N. 13. Hic enim adactus nefaria & detestabili conjuratione, in ipsum inita A. 1517. cujus Coryphæus unus erat ex Sacro Collegio (quod & Salvator sibi continere

gere voluit, ne suo tempore scandalizarentur pusilli Domini Protestantes), una electione 31. novos creavit, eo quod reliquorum etiam fidem, Græculo hoc antesignano, suspectam haberet. *Raynaldus, Spondanus.* Conclavia igitur posthac multo numerosiora fuerunt. Bulla Compacti, ut vocant, quæ inter Paulum IV. & Cardinales A. 1555. disceptata, & concinnata fuit, numerum Cardinalium ad 40. revocavit; exinde tamen crevit numerus ad 70. qui Sæculo XVI. statuminatus est per Bullam Sixti V. incipientem, *Postquam*, &c. cujus tenore 6. Episcopi, 50. Presbyteri, & 14. Diaconi Purpuratum hunc Senatuum constituunt. *Qui nimis fortassis non videbitur*, inquit Thomasinus, *si quis serio perpenderit, hunc esse Principem Clerum, hos Diaconos, hos Presbyteros primaria Orbis Ecclesiæ, & Verticis Christianorum omnium ubique Gentium.*

16. Si Natali Alexandro in Historia sua Ecclesiastica, & Authoribus, unde istam compilavit, fides habenda; Cardinales, saltem à Sæculo IX. usque ad Sæculum XVI. creati sunt à solis Romanis Pontificibus, à quibus & de factis creantur.

Ubiunque enim hic Author Cardinalis facti meminit, à Pontifice Romano creatum asserit, nulla facta mentione Eminentissimi Collegii. Sic enim Sæculi IX. initio à Stephano IV. septem Cardinales Episcopos Lateranenses creatos scribit. Sic, eodem teste, ipso hoc Sæculo Sergius Pontifex à Paschali V. creatus fuit Cardinalis Presbyter, Tituli S. Sylvetri. Eadem fors eodem Sæculo, ipso vade, contigit Leoni IV. à Gregorio IV. Benedicto III. à Leone IV. Stephano VI. à Marino Romano Pontifice. Qua etiam gavissus est Sæculo XI. Stephanus IV. à Victore II. Nec intermitit laudatus Author data occasione singillatim recensere, qui Purpurati à Romanis Præfulibus Sæculo XIII. & XIV. creati fuerint; quin religiosior est in recensendis Purpuratis hujus Patribus, quos

Summi Pontifices Sæculo XV. & XVI. motu proprio ad Eminentissimum Subsellium evererunt: quæ praxis in hodiernum diem, decreto Concilii Basileensis Sess. 23. in Colet. Conciliorum edit. tomo 17. col. 330. quo sancitur, ut Cardinales à Collegio per majoritatem votorum collegialiter elegantur, insuper habito, viget.

17. Dum Cardinalis creatur, ei Titulus, seu Ecclesia Romæ assignatur.

Hæc disciplina ortum habet ex primorum Sæculorum praxi, descripta hoc Tit. N. 5. &c. ubi vidimus, primarios Beneficiarios similibus Ecclesiarum dictos fuisse Cardinales Episcopos, Presbyteros, & Diaconos. Juxta fidem Pontificis Romani, Damaso Papæ attributi, tempore Cleti, seu A. C. 75. ut quidam volunt, Romæ fuerunt 25. Presbyteri. Evaritus A. 95. numerum Diaconorum ad VII. fixit, ad imitationem VII. Diaconorum Ecclesiæ Jerosolymitanæ, Presbyterosque, & Diaconos per varias Regiones Urbis distribuit, ut necessitatibus Plebis subvenirent: assignando Presbyteris *Titulum*, Parochiam, seu districtum, quem gubernarent, cum annua canonica portione. A. 130. vel, ut alii volunt, 127. Hyginus fuit obligatus, alios Presbyteros cuivis Titulo aggregandi, quod unus solus illi gubernando non sufficeret; at simul ordinavit, ut nuperi illi Presbyteri Seniores respicerent tanquam Cardinales, seu Decanos, & Archipresbyteros. Magna Christianorum persecutio sub Diocletiano, Maximiano, & Maxentio A. 305. seu, ut voluit Petavius, A. 308. Marcellum coegerunt *Titulos* Urbis ad 15. reducere. At persecutioni per victoriam Constantini M. fræno imposito, hi Tituli in augem adeo celerem sumplerunt, ut A. 314. sub Sylvestro ad 28. ascenderent. Et Concilium Romanum I. sub Symmacho A. 499. celebratum, mentionem ingerit fere de omnibus Titulis, qui modo Romæ vigent, & quorum Catalogum mox recensebimus. Quos legere poteris in Colet. Concilior. Collect. tom. 5. col.

col. 444. Et hæc de Titulis Presbyterorum Cardinalium.

Quantum ad Cardinales Diaconos A. 240. Fabianus Papa illos distribuit per Urbis Regiones, seu Parochias; cum autem Parochiæ essent 14. Diaconi vero tantum VII. curam duarum Regionum singulis in-junxit, cum una Ecclesia seu residentia, quæ juvaminis esset cuilibet Parochiæ; atque hæc æconomia perduravit usque ad Gregorium M. seu Sæculi VI. finem, & VII. initium, qui 70. Diaconos Cardinales creavit, ut eorum numerus, Christianna Plebe multum aucta, exæquaret numerum Parochiarum. Quamquam vero successu temporis plures facti sunt Romæ Diaconi; non tamen nisi 14. primarii pro Cardinalibus habitii sunt usque ad tempora Gregorii III. qui Sæculo VIII. alios quatuor Diaconos Cardinales creavit, Ministerio Ecclesiæ Lateranensis destinatos. Vide N. 15. h. T.

Quantum ad Cardinales Episcopos illos N. 6. hoc Titulo electos à Stephano III. vidimus VII. ex quibus, cum duo Tituli paulo post fuerint uniti, remanserunt VI. ut sequens Catalogus indicabit.

CATALOGUS

Septuaginta Cardinalium Ecclesiæ Romanæ Titulorum, in tres classes divisus.

CLASSIS PRIMA EPISCOPORUM.

Stabilita circa Annum 768.

- | | |
|--------------------------------------|---------------------------|
| 1. Episcopus Ostiensis. | 4. Episcopus Prænestinus. |
| 2. Episcopus Portuensis & S. Rufinæ. | 5. Episcopus Tusculanus. |
| 3. Episcopus Sabinenis. | 6. Episcopus Albanensis. |

CLASSIS SECUNDA
Presbyterorum.

Presbyteri Cardinales numero 50. habent 22. antiquos Titulos, erectos sub Symmacho Papa A. 499.

- | | |
|---------------------------------------|---|
| 7. Primus S. Callisti. | 19. Decimus tertius SS. Nerei & Achillei. |
| 8. Secundus S. Petri Ad-Vincula. | 20. Decimus quartus S. Chryso-
stolorum. |
| 9. Tertius SS. Apostolorum. | 21. Decimus quintus S. Eusebii. |
| 10. Quartus S. Matthæi. | 22. Decimus sextus S. Susannæ. |
| 11. Quintus S. Sixti. | 23. Decimus septimus S. Pudentianæ. |
| 12. Sextus S. Marci. | 24. Decimus octavus S. Praxedis. |
| 13. Septimus S. Martini. | 25. Decimus nonus S. Priscæ. |
| 14. Octavus S. Marcelli. | 26. Vigésimus S. Cecilie. |
| 15. Nonus S. Clementis. | 27. Vigésimus primus S. Sabinæ. |
| 16. Decimus S. Laurentii. | 28. Vigésimus secundus S. Anastasii. |
| 17. Undecimus S. Laurentii in Lucina. | |
| 18. Duodecimus SS. Joannis & Pauli. | |

Sequentes adjecti sunt post A. 606.

- | | |
|--------------------------------------|-------------------------------------|
| 29. Primus S. Crucis. | 32. Quartus SS. Petri & Marcellini. |
| 30. Secundus S. Stephani. | 33. Quintus S. Balbinæ. |
| 31. Tertius SS. quatuor Coronatorum. | 34. Sextus S. Guirici. |

Post Annum 1475.

- | | |
|----------------------------------|---|
| 35. Primus S. Mariæ de Ara Cœli. | 36. Secundus S. Joannis ante Port. Latinam. |
|----------------------------------|---|

- | | | | |
|--|--------------------------------------|----------------------------------|--|
| 37. Tertius S. Bartholomæi. | 41. Septimus S. Cæsarii. | 65. Octavus SS. Cosmæ & Damiani. | 69. Duodecimus S. Adriani. |
| 38. Quartus S. Thomæ. | 42. Octavus SS. Trinitatis in Monte. | 66. Nonus SS. Viti & Modesti. | 70. Decimus tertius S. Nicolai in Carcere. |
| 39. Quintus S. Sylvestri. | | 67. Decimus S. Eustachii. | 71. Decimus quartus S. Agathæ in Suburra. |
| 40. Sextus S. Laurentii in pane & perna. | | 68. Undecimus S. Gregorii. | |

Post Annum 1353.

- | | |
|-------------------------------|--------------------------------------|
| 43. Primus S. Agnetis. | 45. Tertius S. Mariæ supra Minervam. |
| 44. Secundus S. Mariæ in Via. | |

Post Annum 1566.

46. S. Mariæ Angelorum.

Post Annum 1582.

- | | |
|------------------------------------|-----------------------------------|
| 47. Primus S. Hieronymi Sclavorum. | 52. Sextus S. Mariæ Transpontinæ. |
| 48. Secundus S. Trinitatis. | 53. Septimus S. Petri Montorii. |
| 49. Tertius S. Salvatoris. | 54. Octavus S. Augustini. |
| 50. Quartus S. Mariæ Populi. | 55. Nonus S. Blasii. |
| 51. Quintus S. Mariæ de Pace. | 56. Decimus S. Alexii. |
| | 57. Undecimus S. Onuphrii. |

TERTIA CLASSIS DIACONORUM.

Cardinales Diaconi numero 14. juxta antiquos quatuordecim Diaconos, sub Gregorio I. circa Annum 600.

- | | |
|------------------------------------|----------------------------------|
| 58. Primus S. Mariæ in Dominica. | 62. Quintus S. Mariæ in Equirio. |
| 59. Secundus S. Mariæ Novæ. | 63. Sextus S. Mariæ in Via lata. |
| 60. Tertius S. Mariæ in Cosmedino. | 64. Septimus S. Angeli. |
| 61. Quartus S. Mariæ in Porticu. | |

Quantum ad Cardinales Diaconos, sunt nihilominus 71. Tituli, quin 72. secundum institutionem Leonis X. qui separavit Titulum S. Mariæ Trans-Tyberim à Titulo S. Callisti, ut superesset Tituli conferendi in calibus extraordinariis Cardinalibus, quos tum creandos pro bono Christianitatis judicaret Papa, aut, ut subinde possit gratificare in casu inopinato Principes Christianos.

18. Tituli Diaconorum olim non dabantur nisi Cardinalibus Diaconis, Presbyterorum Presbyteris, & Episcoporum Episcopis: secus accidit posterioribus Sæculis.

Primus omnium Sixtus IV. A. 1480. cepit Titulos Diaconorum Presbyteris dare, & Presbyterorum Diaconis, teste Thomasio p. 1. cit. lib. 2. c. 114. N. 10. Denique eo res devenit, ut & Tituli Diaconorum Clericis simplicibus commendentur, eodem teste, & Episcopi Transalpini sunt Presbyteri Cardinales, disciplinæ pro temporum congruentia variabilitate innoxia rem ita secum ferente. Quæ si funditus inspiciatur, non innoxie oppugnabitur.

19. Idem Tituli olim pariter erant incompatibiles cum aliis Beneficiis, quæ disciplina postremis hæc Sæculis quoque mutata est.

Sic enim adhuc Sæculo XIII. Urbanus IV. Narbonensem, & Ebrodunensem Episcopos ad Sabinenis & Ostiensis Ecclesiarum, Romani Pontificis Suffraganeorum, Titulos Cardinalitios transfudit. Raynaldus ad A. 1262. N. 42. Et ante ipsum Innocentius IV. Archiepiscopum Rotomagen-

genslem ad Ecclesiam Cardinalitiam Albanensem, Romani Pontificis eidem Suffraganeam, eique Sacerdotem dedit in Ecclesia Rotomagensi Abbatem S. Dionysii. Synodicon Rotom. pag. 251. Et alii Pontifices Saeculi XIV. dum Episcopos Transalpinos Purpura donarunt, à vinculo Ecclesiae suae eos abolverunt, teste Thomass. lib. 3. c. 5. N. 12.

Quantum ad secundum, causa hujus mutationis fuit, quod, stante priori disciplina, multi abhorrerent Cardinalitiam Dignitatem; eo quod Purpura eos charioris subinde veste exueret. Hinc tres Electores Archiepiscopi Romani Imperii Saeculo XIV. oblatam ab Urbano VI. Purpuram recusarunt, licet suarum Ecclesiarum administrationem in spiritualibus & temporalibus, quoad viverent, eis etiam non penitentibus, conservasset indulgentior Pontifex, teste Theodorico de Niem lib. 1. cap. 43., qui 30. annos Romae ea tempestate traduxerat; quoniam maluerunt Ecclesias jure suo, quam alieno Beneficio, Titulo, quam Commenda possidere. Hinc disciplinam illam, quae tamen initio Saeculi XV. adhuc vigeat, necesse habuerunt Romani Pontifices sensim abrogare, novis scilicet Cardinalibus primum Episcopatus suos ad aliquod tempus in Commendam dando, deinde illos eorundem perpetuos Commendatores, & Administratores declarando, ac nihilominus à residentiae vinculo absolviendo: ut probat Thomass. cit. p. 2. lib. 3. c. 12. item c. 33. N. 2. & 5. item lib. 2. c. 114. N. 12. & 15. Displacuit subinde isthaec mutatio illis Cardinalibus & Consultoribus, quorum consilia A. 1538. requisivit Paulus III. ad Ecclesiasticae Disciplinae restorationem: quapropter eidem, quantum ad praesens caput, sequentia suggesserunt: *Aliis etiam abusus invaluit, ut Reverendissimis Cardinalibus Episcopatus conferantur, seu commendentur, non unus tantum, sed plures: quem, Pater Beatissime, putamus magni esse momenti in Ecclesia Dei.*

Primo quidem, quia Officium Cardinalitatis, & Officium Episcopi incomparabilia sunt. Nam Cardinalium est assistere Sanctitati Tus pro gubernanda universali Ecclesia: officium autem Episcopi est, pacere gregem suum, quod praesare bene, & ut debet, hand potest, nisi habeat cum Ovis suis, ut Pastor cum Grege, &c. Tridentina tamen Synodus Sess. 23. cap. 1. de Ref. & alibi supponit, Cardinalitiam Dignitatem sociabilem esse Episcopatu, non tantum in Commendam, ut alias, sed etiam in Titulum dato: verum illos Cardinales vult personaliter in Diocesi sua (votum Consultorum Pauli III. moderando) residere. Et inde est, quod fateatur Curiae Romanae expertissimus Fagnanus, nulla jam dispensatione opus esse, ut Episcopatum retineat, qui Cardinalatu posthinc decoratur. Nec argumentum Pauli III. contra Tridentinos Patres urget; esto enim dicti Cardinales, stante suo de residentia apud Gregem mandato, Romano Pontifici assilire nequeant; cum tamen numerus eorum ad 70. excreverit, qui olim intra limites 20. concluderetur, Romano Pontifici sufficiens Senatus non deerit. Sic enim vero res magnae tam varia necessario secum ferunt, quae, dum animi parvi non capiunt, inde scandalizantur. Sed immerito; suas enim Ecclesia Romano-Catholica non in uno aliquo terrarum angulo, sed per totum Orbem terrarum diffusa, habuit, & habebit rationes; quare modo sic, modo sic procedat: quae cum non nisi profunda combinatione penetrari possint, non mirum, quod ab hominibus obvis, & odio insuper animatis sus deque habeantur.

20. Si Officium Cardinalium expendamus, atque hodiernum cum pristino conferamus, etiam hic mutationem non modicam intervenisse videbimus.

Cum enim prillini Romanae Ecclesiae Cardinales essent Presbyteri & Diaconi, suis respective Ecclesiis & Titulis, tanquam Ordinarii atque Fixi Ministri, ad-

cripti,

cripti, etiam praecipuum Officium eorum erat, illarum Ecclesiarum, vel Titulorum curam gerere; manique Presbyteri, seu Parochi, aut Diaconi obire; iisque totos se impendere: quoniam & ipsi tunc etiam Presbyterium constituerent, cujus consilio & opete Romanus Episcopus uteretur. Ut N. 3. h. T. innuimus, & praecipuum fit ex ep. 55. Cypriani ad Cornelium Papam, in qua scribit: *Florentissimo illic Clero tecum praesidenti.* At si disciplinam à sex circiter Saeculis stabilitam expendamus, inquit Espenius P. 1. Tit. 22. c. 1. N. 31. videbimus, praecipuum Cardinalium S. R. E. Officium esse, Romano Pontifici in negotiis gerendis consilio & opera assistere, atque ex hoc capite Cardinalium eminentiam, atque dignitatem praecipue, ne dicam unice, fuisse desumptam. Et quidem Leo IX. scribens ad Michaellem Patriarcham Constantinopolitanum, cum edixisset, quod sicut Cardine totum regitur ostium, ita in Petro & eius Successoribus totius Ecclesiae disponatur emolumentum; mox ut consequens infert: unde & Clerici ejus *Cardinales* dicuntur, *Cardini* utique illi, quo caetera moventur, *vicini* adherentes. Itaque jam non ab intultatione, aut *incardinatione* alicujus Ecclesiae, Cardinales vocavit Leo; sed à majori adhaerentia Romano Pontifici. Hinc & sub idem tempus *Laterales* Pontificis dici coeperunt. Haec de causa S. Bernardus Saeculo XII. ad Cardinales R. E. scribens, ait: *Nulli dubium, quin ad vos specialiter spectet de Regno Dei surgentes succedere spinas, sedare querelas; — agite pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua polletis, pro potestate, quam accepistis.* Ep. 89. Hic Bernardum reputare & agnoscere Cardinales tanquam Superintendentes *Regno Dei*, id est, *Ecclesiae*, atque una cum Pontifice illius curam agentes, manifestum est. Unde ad Eugenium III. dicit: *Veniamus ad Collaterales, & Coadjutores tuos. Hi seduli tibi, hi intimi sunt. — An non eligendi de toto Orbe, Orbem judicaturi?*

21. Pro coronide hujus de S. R. E. Cardinalibus tractatus apponere placuit allocutionem, quam Sanctissimus Dominus noster Benedictus Divina Providentia Papa XIV. in Consultorio Secreto 26. Novembris anno corrente habuit, ex qua oeconomicum promotionis Cardinalium, ceu ex limpidiissimo fonte haurire licebit.

ALLOCUTIO

SS. D. N. BENEDICTI Divina Providentia Papae XIV.

Habita in Consultorio Secreto Feria secunda, vigesima sexta Novembris MDCCCLIII. Roma.

VENERABILES FRATRES.

Quod octodecim Loca in Collegio vestro vacantia postulare videntur, ut novis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus creandis animum intendamus, id aliae plures rationes ulterius non differendum nobis suadent, tum scilicet justum, quo urgemur, studium remunerandi eos, qui egregiam & laboriosam Apostolicam Sedem operam praestiterunt; tum provida cura augendi eorum numerum, quorum consilio graviora Sacrosanctae Religionis Ecclesiaeque universae negotia administrantur & expediuntur; tum denique ut finis aliquando sit anxius, molestisque curis, atque cogitationibus, quae nos ea de re, cum saepe alias, tum maxime postremis hisce mensibus, vexarunt, sollicitosque habuerunt.

Diximus autem, octodecim esse loca in Collegio vestro vacantia, quamvis olim, ut probe meministis, duos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales ex hoc ipso loco creatos in pectore reservaverimus, arbitrio nostro quocumque declarandos; quorum proinde loca, proprie loquendo, nequaquam vacare dici poterant. Verum, cum ii, quos tunc electos in pectore reservavimus, interea, licet non admodum

etate

etate provecti, ex hac vita emigraverint, collati sibi honoris plane nescii; idcirco eorum loca inter vacantia adnumerari omnino debent, & octodecim vere sunt, quæ ad absolvendum Fraternalitatem Vestrarum numerum implenda supersunt.

Ex his vero sexdecim dumtaxat hoc tempore conferre intendimus, & totidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales creare, quorum nomina mox aperiemus. Duos autem reliquos neque creare, neque in pectore reservare Nos declaramus; sed tunc illos à Nobis creandos fore constituimus, cum id fieri permittent rerum, & temporum circumstantiæ, quæ nunc consiliorum nostrorum executioni obstant.

Cæterum, Venerabiles Fratres, cum rei hujus, quam agendam suscepimus, gravitatem & magnitudinem intelligeremus, eaque semper præ oculis habuerimus, adeoque habeamus, quæ de hujus S. R. Ecclesiæ Cardinalium creatione in Conciliorum Generalium Decretis, & in Apostolicæ Sedis Constitutionibus præscripta sunt, enixas imprimis preces Deo Optimo Maximo fundere non prætermisimus, ut ipse nobis suum lumen infunderet, ne in delectu faciendi à recti semita deviareremus; tum vero oculos nostros in eos conjecimus, quos hunc honorem maxime promeritos in Domino judicavimus, ob diuturnos labores in Apostolicæ Sedis Ministeriis laudabiliter impensos, eisque magis idoneos, qui nos consilio, & opera adjuvarent in gravissimo Apostolici Regiminis onere sustinendo, quod, nullo nostro merito, debilibus humeris nostris impositum, in dies magis, magisque ponderosum sentimus.

Itaque inter eos, quos in Collegium Vestrum aptandos jam jam proponemus, & eorum nomina audietis, qui Nostra & Apostolicæ Sedis Legatione apud Catholicos Principes multos jam annos, & magna cum Ecclesiæ utilitate perfuncti sunt, & eorum, qui longi temporis cursu ab inferioribus ad sublimiores Romanæ Curie Gradus evecti, graviora demum munera,

line quibus Ecclesiastici Regiminis, & temporalis Imperii ratio stare nequit, diu & cum laude gesserunt; neque deerit, aut qui peritiam in Jure dicendo cum integerrimo vitæ tenore conjungens in Fori subfelliis irreprehensibilem se præbuit, aut qui ob Theologicæ Facultatis, & Sacrorum Dignatum Scientiam, ad gravia Ecclesiæ negotia pluries adhibitus, ab omni partium studio alienus, utilibus rectisque consiliis Nostras vestrasque consultationes juvare consuevit. Eorum denique nomina audietis, quorum mores & instituta, simulque labores & officia, licet vobis etiam aliunde cognita, nos ipsi, præ cæteris, agnovimus, atque probavimus. Erit enim, qui non solum hoc Nostrum Pontificatus tempore, sed pluribus ante annis, dum nos in minoribus constituti, inter hujus Curie Præsules, deindeque inter S. R. Ecclesiæ Cardinales locum obtinebamus, ex gravissimis primum, quæ gerebamus, Apostolicæ Sedis muneribus, mox in Anconitani Episcopatus, & in Bononiensis Archiepiscopatus administratione, curarum omnium laborumque nostrorum socius & particeps fuit, & demum in magni momenti officii, quæ nos in hac Beati Petri Cathedra jam sedentes eidem commisimus, suam Nobis & Republicæ operam summopere probavit. Erit, quem nos ab ineunte adolescentia ad quadragenariam, quam prope attingit, ætatem, veluti in sinu nostro educatum, ac per nos ipsos Minoribus Majoribusque Ordinibus Bononiæ institutum, optimis semper studiis ac disciplinis delictum, illibatisque & Sacerdotalibus moribus ornatum conspeximus: cuius, dum lateri nostro quartumdecimum jam annum adhæret, prudentiam, fidem, & in officio assiduitatem experti sumus, ac simul perseverantem in Ecclesiasticis Studiis voluntatem commendare, & communicatis sæpe negotiis, pluribusque eidem opportune demandatis, fovere & exercere non omisimus. Erit, qui toto Prædecessoris nostri Pontificatu illius generis ministris,

teris, quæ summam fidem, & rerum gerendarum scientiam requirunt, optime functus, haud levioris momenti munera hoc etiam toto Pontificatus nostri tempore pari consilio, integritate, ac sedulitate administravit. Et demum, qui jam diu eximiam Jurisprudentiæ laudem in Romana Curia merito adeptus, & multis in rebus, ac difficillimis Apostolicæ Sedis negotiis sub eodem Prædecessore nostro versatus, non paucis denique annis apud nos totius justitiæ administrationi præpositus, omnibus officii sui muneribus, magno, & constanti animo, sine personarum acceptione, satisfecit, suisque studiis, & laboribus Nos in assiduis, quibus premitur, curis, & sollicitudinibus sublevare non desistit.

Hanc ipsam, quam in Cardinalium creandorum electione unice spectavimus, meritum rationem, in conkerendis, ac demandandis inferioribus Dignitatibus, & Officiis, quæ per promotionem vacabunt, nos plane secutos esse agnosceatis, quem admodum confidimus, Venerabiles Fratres. Neque tamen hoc Nobis pollicemur, nullas auditum iri querelas, atque lamentationes, sive eorum, qui non illud præmii genus, quod animo præceperant, assecuti erunt; sive eorum, qui præmium aliquod certe promeriti, nihil tamen obtinebunt, propterea quod definitus honorum, & Magistratum numerus ad meritum multitudinem impar inventus est, eoque semel exhausto nihil fuit reliquum, quod ipsis tribueretur. Nec illud etiam ad sedandos eorum animos, aliorumve, qui suum ipsi patrocinium impendunt, magnopere profuturum speramus, quod animadvertere poterunt, nihil à nobis carni, & sanguini tributum esse, quodque eosdem pro certo habere volumus, Nos id, quod nunc efficere non potuimus, cum primum opportuna se occasio obtulerit, libentissime perfecturos. Hujusmodi querimonias, & hominum offensiones nos jam scimus necessaria esse, quamvis non debita, ministris,

terii nostri emolumenta. Ea tamen gratia semper, & æcerba nobis accedere fateamur. Cum ex vera naturæ nostræ indole omnibus benefacere, omnium justis desideriis obsecundare posse in votis habeamus.

Sed jam ad propositam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium creationem procedamus. Itaque ad Majorem Omnipotentis DEI Gloriam, ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ utilitatem, & decus intendimus creare Cardinales:

Josephum Mariam Feronum, Archiepiscopum Damascenum, Congregationis Episcoporum, & Regularium Secretarium.

Fabritium Sorbellonum, Archiepiscopum Patracensem.

Joannem Franciscum Stoppanum, Archiepiscopum Corinthi, & Præsidem Urbini.

Lucam Tempi, Archiepiscopum Nicomedjensem.

Carolum Franciscum Durinum, olim Archiepiscopum Rhodiensem, nunc Archiepiscopum Papiensem.

Henricum Henriquetz, Archiepiscopum Nazianzenum.

Cosmam Imperialem, Almæ Urbis Nostræ Governatorem.

Flavium Chisum, Auditorem Generalem Caularum Cameræ Apostolicæ.

Joannem Franciscum Bancherium, Thesaurarium Generalem Cameræ Apostolicæ.

Vincentium Malvetium, Cubiculi Nostræ Præfectum.

Aloysium Matthejum, Romanæ Rotæ Auditorem.

Joannem Jacobum Millum, Nostrum Datarium.

Josephum Libizzanum, Supplicum Libellorum à secretis.

Aloysium Mariam Turrigianum, Consultæ Secretarium.

Clementem Argen-Villiers, Nostrum Auditorem.

Antonium Andream Gallum, Abbatem Generalem Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris.

Quid vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis DEI, Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra creamus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales:

Presbyteros quidem,

Josephum Mariam Feronum, Archiepiscopum Damascenum.

Fabritium Sorbellonum, Archiepiscopum Patracensem.

Joannem Franciscum Stoppanum, Archiepiscopum Corinthi.

Lucam Tempi, Archiepiscopum Nico-mediensem.

Carolus Franciscus Durinum, Archiepiscopum Papiensem.

Henricum Henriquetz, Archiepiscopum Nazianzenum.

Cosmam Imperialem.

Vincentium Malvetium.

Aloysium Matthæjum.

Joannem Jacobum Millum.

Clementem Argen-Villiers.

Antonium Andream Gallum.

Diaconos vero,

Flavium Chisium.

Joannem Franciscum Bancherium.

Josephum Libizzanum.

Aloysium Mariam Torrigianum.

Cum Dispensationibus, Derogationibus, & Clausulis necessariis, & opportunis.

In Nomine Patris ꝑ, & Filii ꝑ, & Spiritus Sancti ꝑ, Amen.

QUESTIO DOGMATICA.

De Episcoporum supra Presbyteros eminentia Divino Jure instituta.

22. **H**anc questionem tractat Natalis Alex. Hist. Eccl. Sæc. 4. dissert.

44. adversus Aerium ejusdem Sæculi hæreticum, in eaque refellit librum Davidis Blondelli Calvinistæ, inscriptum: *Apologia S. Hieronymi*, in qua Presbyteros Episcopos æquales cum Ordine, tum Jurisdictione, si Jus Divinum spectetur, acerrime propugnat. Quam dissertationem cum post retutationem hujus scripti à doctissimo Petavio S. J. aliisque Viris Clarissimis concinnatas, fuisse, & accuratissime instituerit, ultimamque quasi manum jugulando Adversario imposuerit; actum agerem, si aliud, præterquam ejusdem compendium, conformiter scopo suscepti operis, huc apportarem. Blondello autem in præsentia materia prævix Magister suus Calvinus, huic Wicleffus, Albigenfes, & Waldenses, omnes fideles Aerii, Sæculo IV. à S. Epiphano hæretici declarati, ut infra videbimus, discipuli: quibuscum non immerito conspirant Domini Lutherani.

23. An autem Jure Divino Episcopi sint Ordine, & Jurisdictione æquales, vel majores Presbyteris, Dominis Adversariis consentientibus, dependet à Regimine Ecclesiastico ab Apostolis instituto, & per Traditionem ad nos transmissio. Quale autem regimen Apostoli instituerunt, tale ordinale Christum utrinque fatemur, saltem hac in parte fratres; at non usque ad aras, longe enim aliam illi de regimine Ecclesiastico tempore Apostolorum foveat ideam præ nobis: imprimis enim negant ab Apostolis Civitatibus, vel Diocæsiis, in quibus Verbum Dei disseminaverant, singularem aliquem Episcopum præfectum fuisse; sed patendi Dominici Gregis curam pluribus Senioribus, seu Presbyteris, aut Episcopis commissam fuisse; quam illi aut cumulative, aut per vias, ad modum Consulium Romanorum exercerent: quod est Episcoporum majoritatem Ordine, & Jurisdictione supra Presbyteros evertere. E contra Catholici, esto admittant in Apostolorum tum Actis, tum Epistolis Episcopos cum Presbyteris, &

& hos cum Senioribus Laicis confundi; nihilominus pro aris, & focis contendunt, tempore Apostolorum singulares in Ecclesiis ab ipso Apostolis fuisse institutos Episcopos, qui potestate pollerent Presbyteros, & reliquum Clericum ordinandi, eunque ac Populum Christianum in suo foro judicandi: quod est eos asserere Ordine, & Jurisdictione præsuperioribus, ipsique Ordine, & Jurisdictione superiores S. Chrysof. Theodoretus, & Theophylactus agnoscunt: Chryf. quidem hom. 10. in hanc ep. dum ait: *Cur igitur hæc in Episcopo requirenda non dixit? quia perpauca hujusmodi inveniri fas erat; Episcopis autem plurimis tunc opus fuit, qui per singulas Civitates Magistris constituerentur.* Et homilia II. rationem asserens, cur Apostolus, prætermisiss Presbyteris, post Episcopos Diaconorum statim meminisset, ait: *Id ipsum fecisse, quia inter Episcopum, atque Presbyterum interest fere nihil. Quippe & Presbyteris Ecclesiæ cura permixta est: & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt. Sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur.* Censet ergo Chrysof. Episcopos, ex mente Apostoli, ordinatione esse majores Presbyteris, quamvis, quod curam præcisè animarum concernebat, non magnum inter eos discrimen pro illa ætate agnoscat. Theodoretus vero, licet hæc leges Presbyteris primo positas agnoscat, qui temporibus Apostolorum Episcopi vocabantur, cum ii, qui postea Episcopi vocati sunt, tunc dicerentur Apostoli: adjicit tamen manifestum esse, quod hæc leges oportet primos servare Episcopos, qui majorem dignitatem sortiti sunt.

PROPOSITIO.

Episcopi Jure Divino Presbyteris majores sunt.

24. **P**robatur ex Scriptura, cujus prima autoritas desumitur ex Apostolo ad Titum cap. 1. v. 5. scribente: *Hujus autem rei gratia reliqui te Creta, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Igitur Titus erat Episcopus Cretæ singularis, illis, quos per Civitates constituere debuerat, ex Apostolica Ordinatione superior. Esto autem contrarium Adversariis daretur, illum nempe non fuisse Episcopum singularem, id est, alicui Urbi additum, sed Apostolum secundi ordinis, id est, Apostolorum Coadjutorem, ut ipsi exponunt; non minus ex hoc Apostoli testimonio colligitur, singulares ab ipso ex mandato Apostoli constitutos fuisse, atque ordinatos Episcopos; cum nomine Presbyterorum hic intelligendos esse Episcopos, quos adulta habuit Ecclesia, Græci Interpretes auctoritatis maxime asserant, Chrysofotom. hom. in ep. ad Titum, & Eumenius, & Theophylactus in eundem locum. Porro singularem Episcopum fuisse Titum Eusebium lib. 3. Hist. Eccl. c. 4. affirmat, Timotheus, inquit, *Ephefensæ Ecclesiæ Episcopatum primus accepisse dicitur, quemadmodum etiam Titus insula Creta**

Ecclesiæ Jure Episcopus (seu Metropolita) fuisse memoratur.

25. Secunda autoritas desumitur ex 1. ad Timoth. c. 3. v. 1. *Fidelis sermo: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, &c.* Illud de singularibus Episcopis dictum esse, qui à Presbyteris distincti erant, ipsique Ordine, & Jurisdictione superiores S. Chrysof. Theodoretus, & Theophylactus agnoscunt: Chryf. quidem hom. 10. in hanc ep. dum ait: *Cur igitur hæc in Episcopo requirenda non dixit? quia perpauca hujusmodi inveniri fas erat; Episcopis autem plurimis tunc opus fuit, qui per singulas Civitates Magistris constituerentur.* Et homilia II. rationem asserens, cur Apostolus, prætermisiss Presbyteris, post Episcopos Diaconorum statim meminisset, ait: *Id ipsum fecisse, quia inter Episcopum, atque Presbyterum interest fere nihil. Quippe & Presbyteris Ecclesiæ cura permixta est: & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt. Sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur.* Censet ergo Chrysof. Episcopos, ex mente Apostoli, ordinatione esse majores Presbyteris, quamvis, quod curam præcisè animarum concernebat, non magnum inter eos discrimen pro illa ætate agnoscat. Theodoretus vero, licet hæc leges Presbyteris primo positas agnoscat, qui temporibus Apostolorum Episcopi vocabantur, cum ii, qui postea Episcopi vocati sunt, tunc dicerentur Apostoli: adjicit tamen manifestum esse, quod hæc leges oportet primos servare Episcopos, qui majorem dignitatem sortiti sunt.

26. Tertia autoritas desumitur ex eadem ep. ad Timoth. c. 5. v. 19. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.* Quo loco, sive nomine

mine Presbyteri Seniores Populi, ut voluit Chrysol. & Theophyl. live in Ordine Ecclesiastico constituti exprimentur, ut vult Theodoretus, & Epiph. in utroque peccantes auctoritatem ex institutione divina per Apostolum promulgata nactus est Timotheus, & ad ejus exemplum ceteri Episcopi. Unde S. Epiph. haereti 75. in ea hujus capitis verba, *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem*; nomine Senioris Presbyterum intelligens, prout Ecclesiastici nomen Ordinis est, hæc habet: *Quid autem attinebat Episcopo vetare, ut ne Presbyterum obsecraret, nisi majorem ipso potestatem obtineret?*

27. Quarta auctoritas, singulares nempe Episcopos per Civitates in ipsis Ecclesiæ exordiis, dum adhuc superstitibus essent Apostoli, constitutos fuisse, desamitur ex Apocalypsi S. Joannis c. 2. ubi ex mandato Christi epistolæ scribuntur ad VII. Ecclesiarum Angelos, id est, Episcopos. Contendunt quidem Protestantes, nomine Angelorum non Rectores, seu Episcopos harum Ecclesiarum, sed ipsas Ecclesias intelligi; sed vane: namque ex eo aperte refelluntur, quod Patres, mediæ ac posterioris ævi Interpretes omnes nomine Angelorum ipsos Episcopos intelligant. Ut enim præteream Authorem Commentarii in epistolam S. Pauli, S. Ambrosio olim adscripti, in 1. ad Corinth. c. 2. in Concilio Chalcedonensi Act. 2. dicitur: *A S. Timotheo ad hoc tempus* (Conciliis) 27. *Episcopi in Epheeso ordinati sunt*; ex quibus patet vel Timotheum ipsum, vel ejus Successorem hunc ipsum Angelum fuisse, de quo ibi v. 1. dicitur: *Angelo Epheesi scribe*. Et ex Irenæo l. 3. c. 3. verosimile est S. Polycarpum intelligendum esse nomine Angeli, de quo ibi v. 8. dicitur: *Angelo Smyrna Ecclesiæ scribe*. De his Angelis Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem c. 5. *Habemus*, inquit, *Joannis Alumnas Ecclesiæ; Ordo Episcoporum ad originem recensendus in Joannem stabit auctoritatem*. Præterea, quæ de Angelis ibi di-

cuntur, singularibus Personis, non Ecclesiis totis conveniant, ut legenti manifeste patet.

28. Probatur II. ex traditione ab Apostolis ad nos derivata, atque in particularibus Ecclesiis ininterrupte per plura secula conservata, quæ primo promicat in Ecclesia Antiochena ex genuinis S. Ignatii Epistolis, quas Volsius ex Codice Medicæo descripsit, in quibus Vir Apostolicus, Apostolorum Discipulus, & Christi Sæculo I. Martyr propositionem nullo relicto esugio edidit. Sic autem habet ep. ad Ephesios: *Etenim J. C. inseparabilis nostra vita Patris est sententia, ut & Episcopi per terram terminos desiniti ex J. C. sint sententia. Unde decet vos in Episcopi sententiam concurrere, quod & fecistis. Nam memorabile vestrum Presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum est Episcopo, ut chorda cytharæ. Et in ep. ad Magnesianos: Hortor, ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere, Episcopo presidente Dei loco, & Presbyteris loco Senatus Apostolici, & Diaconis mihi suavissimis, quibus commissum est ministerium Jesu Christi. Et in ep. ad Trallianos: Cuncti similiter revereantur Diaconos, ut mandatum J. C. & Episcopum, ut eum, qui est Figura Patris. Presbyteros autem ut consessum Dei, & ut conjunctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur. Et in epistola quam expresse inscribit Polycarpo Smyrnenfis Ecclesiæ Episcopo, Episcopus, Presbyteros, & Diaconos simul alloquens, *Collaborate*, inquit, *invicem ut Dei economi, aut dispensatores* (sic Episcopos) *ut assessores* (sic Presbyteros) *& ministri* (sic Diaconos nuncupat). Plura loca ejusdem videantur apud Nat. Alex. hoc loco.*

29. Hæc ita feriunt Blondellum, ut aliter evadere nequeat, quam negando S. Ignatium has Epistolam scripsisse, sed tantu lib larva nominis ab aliquo impostore II. Sæculo confictas. Sed cause suæ despe-

desperationem prodit; nam, præterquam quod Critici Catholici, & imprimis Nat. Alex. dissent. 20. hujus Sæculi, ipsas S. Ignatio invictis argumentis vindicant, satis nobis vix non esse potest pro palma metenda, quod scriptas Sæculo II. affirmet. Sæculo ergo II. Episcopi ex Christi sententia Presbyteris ordinatione & jurisdictione superiores erant. Hinc non illepide Augustiniana Paraneus, quam legimus Sabb. sancto, in Blondellum mutato verbulo torqueretur: *Quid est, quod dixisti, o infelix astuta! dormientes* (Vigilantes utpote Sæculi II.) *testes, & quidem contra te, adhibes? vere tu ipse dormisti, qui scrutando talia desecisti.* Et hinc, teste Eusebio lib. 3. c. 22. defuncto Evodio, qui primus ejus loci constitutus fuerat Episcopus, secundum tum maxime forebat Ignatius. Et lib. 4. c. 20. Theophilum sextum ab Apostolis vocat hujus Ecclesiæ Episcopum.

30. Eadem Traditio II. promicat in Ecclesia Alexandrina ex Clemente Alexandrino, qui floruit Sæculi III. initio; hic enim Lib. VI. Stromatum inquit: *Quoniam & hinc in Ecclesia progressionem Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum imitationes, ut arbitror, sunt gloria Angelice, & illius dispensationes.* Item ex Origene eodem Sæculo florente, qui lib. 3. contra Cellum Senatam Ecclesiasticum, id est, Presbyteros, & Clericos ab iis, qui Republicanam Ecclesiasticam admittunt, id est, ab Episcopis ex institutione divina distingui, non oblcure indicat. Idem facit homilia 17. ubi ait: *Neque Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus possunt esse digami.* Et Tract. 12. in Joannem summam Ecclesiastici Principatus in Episcopis agnoscit; exponens enim illa verba: *Principes Gentium dominantur eorum*, — non ita erit inter vos, hæc habet: *Episcopi autem, quidam crudeliter comminantur, aliquando quidem occasione peccati; — principes ergo Gentium dominantur eo-*

rum, Principes autem Ecclesiæ servantur subditis. Præterea, ex Synodo Alexandrina Sæculo IV. in causa S. Athanasii congregata, quæ famosum Ischyram Presbyterum non fuisse ex eo probat, quod à Colutho ordinatus esset, qui non erat Episcopus, sed simplex Presbyter; adeoque Sacerdotes ordinare non poterat. Agnoscit proinde laudata Synodus, & cum ea Ecclesia Alexandrina ordinandi potestatem jure divino solis Episcopis convenire; nec à Presbyteris consecrari posse tam Episcopos, quam Presbyteros; & consequenter hos esse illis Ordine, & Jurisdictione per traditionem ab Apostolis acceptam majores. Unde, teste Eusebio lib. 2. c. 24. in eadem Ecclesia S. Marco, S. Petri discipulo, successit Anianus; & lib. 3. c. 21. Avilio, Cerdio; Cerdoni, juxta eundem lib. 4. c. 1. Iustus, &c. omnes singulares Episcopi.

31. Eadem Traditio III. promicat in Ecclesia Cypri ex Epiphano heresi 75. ubi de Aërio, Protestantium hoc in argumento Proto-Parente, sic loquitur: *Est autem illius dogma supra hominis captum furiosum, & immane.* Imprimis enim quamquam, inquit, in re Presbytero Episcopus antecellit? *Est enim amborum unus Ordo, par & idem honor, ac dignitas: — his in vulgus factatis, pleboscque in errorem adduxit, quorum Sectæ Princeps existit.* Illam autem soliditatis plenam, ut ait, sententiam hac ratione refellit: *Episcoporum Ordo ad gigantes Patres præcipue pertinet; hujus enim est Patrum (per collationem Sacramenti Ordinis) in Ecclesia propagatio. Alter (videlicet Presbyterorum) cum Patres non possit, Filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit; non tamen Patres, & Magistros. Quam vero feri potest, ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habet? Aut quomodo Presbyter Episcopo potest esse equalis?*

32. Eadem Traditio IV. promicat in

Ecclesia Jerofolymitana, cujus primus Epifcopus, teſte Hegelyppo Apoftolorum vicino, ut habet Hieron. de Scrip. Eccl. c. 4. ab Apoftolis conſtitutus fuit Jacobus frater Domini; cui ſuffragatur Eufe- bius lib. 2. Hiſt. Eccl. c. 1. qui lib. 4. ejuſ- dem Hiſt. c. 5. inquit: *Ex veterum Scrip- torum monumentis didici, ad illam uſque obſeſſionem Judeorum, qua impe- rante Hadriano contigit, quindecim Epiſ- copos continua ſucceſſione illi Eccleſiæ præſuiſſe, quos omnes origine Hebræos fuiſſe memorat, & Fidem Chriſti ſin- cere, & ex animo ſuſcepſiſſe. Et quam- vis Blondello incredibile videatur, tot Epifcopos ſpatio 30. annorum ſua morte alteri ſedem reliquiſſe, & conſequenter velit potius Presbyteros Jerofolymitanos per vices Epifcopatum ſuſcepſiſſe; quan- tum ad primum tamen reſellitur, exem- plo ducto à Succeſſione Romanorum Pon- tificum, in qua ab Ann. 883. quo Mar- tinus Papa creatus eſt, ad An. 912. quo Anaſtaſius III. obiit, & Joannes X. Pon- tificatum iniiit, 14. Romani Pontifices nu- merantur. Quantum ad II. vero vulpat tum ex ſucceſſione Epifcoporum aliarum Eccleſiarum jam relata, in qua non niſi mors primi Cathedram ſecundo reliquit; tum ex dictis Titulo VI. præſentis Libri, ubi ex primitivæ Eccleſiæ monumentis demonſtravimus, Eccleſiæ Presbyteros non egſſe per vices, ac ordine Epifcopos; ſed electos fuiſſe, ac tales ad mortem perfe- veralſe.*

33. Eadem Traditio V. promicat in Eccleſia Romana, omnium Eccleſiarum Matre, & Magiſtra, ex S. Clementis, S. Petri diſcipuli, Epifc. genuina ad Corin- thios, in qua de Apoftolis ſic loquitur: *Per Regionem igitur, & Urbes Verbum prædicantes, primitias eorum ſpiritus probantes, Epifcopos, & Diaconos eorum, qui credituri erant, conſtituerunt; — & quid mirum, ſi, quibus in Chriſto à Deo hoc munus commiſſum fuit, prædictos conſtituerint?* &c. Chriſti ita,

que mandato Epifcopos ab Apoftolis eſſe conſtitutos docuit S. Clemens.

34. Reſpondet Blondellus, binos tan- tum Cleri Grados, Epifcoporum nimirum, & Diaconorum à S. Clemente agnitos fuiſſe, adeoque recentis ab ipſo in Epifcopis Presbyteros. Addit, ſeditio- nem tunc temporis in Eccleſia Corinthi excitatam fuiſſe, non adverſus ſingularem tunc incognitum Epifcopum, ſed adverſus Presbyteros, quos Epifcopatu ſanctos Clemens dixerat, idque colligit ex his verbis: *Purpe eſt, dilecti, imo valde turpe, & converſatione, qua in Chriſto eſt, indignum, audire firmiſſimam, anti- quamque Corinthiorum Eccleſiam, propter unum, aut alterum, adverſus Pres- byteros ſeditionem concitare.*

35. Verum nec Epifcopos, & Dia- conos tantum, ſed Presbyteros etiam in illa ep. non ſemel memorat S. Clemens. Ad hæc, cum Epifcopi nomen primi, & ſecundi Ordinis Sacerdotibus tunc com- mune eſſet, utrumque Ordinem apud S. Clementem ſignificat. Porro licet Corin- thi Senatui Eccleſiaſticus eſſet, ſeu Col- legium Clericorum, ab Apoftolis conſti- tutum; non exiade ſequitur, ibi non fuiſſe Epifcopum ſingularem, cum id aper- te ſupponat S. Clemens in dicta epiſtola, ubi comparationem Eccleſiaſtica Hierar- chia cum Hierarchia Synagoga, in qua ſimplices à Summo Sacerdote diſtingue- bantur, faciens, inquit: *Summo quippe Sacerdoti ſua munera tributa ſunt (in Synagoga), Sacerdotibus locus proprius assignatus eſt: Levitis ſua miniſteria in- cumbunt; — unusquisque veſtrum, fratres, in ſuo ordine, & ſtatione manens. Nimirum, Summus Sacerdos, ſeu Epifcopus in ſua, Sacerdotes, id eſt, Presbyteri in ſua; & Levitæ, hoc eſt, Diaconi in ſua: neget hanc fuiſſe mentem Clementi in hac allegoria, ſi poteſt, per- tinax Blondellus. Erunt præterea Roma- næ Eccleſiæ Traditio ex ep. Cleri Roma- ni ad S. Cyprianum ſæculo III. ſcrip- ta,*

ta, quæ inter ejus epiſtolas exlat ordine 31. in qua diſerit: *Quamquam nobis diſ- ferenda bujus rei neceſſitas major in- cumbat, quibus poſt exceſſum nobiliſſime memoria Viri Fabiani nondum eſt Epifcopus propter rerum, & temporum diſſicultates conſtitutus, qui omnia iſta moderetur, — & infra: Ante conſtitutionem Epifcopi nihil innovandum pu- tavimus. Ruit ergo Syſtema Proteſtantium N. 23. deſcriptum ea Traditione Eccleſiæ Romanæ, in qua continua Epifco- porum à S. Petro Succeſſio deſcribitur per Eufebeium, Optatum Milevitanum, Hie- ronymum, Auguſtinum: ut nullus de noſtro Syſtemate ab ipſis Apoftolorum tem- poribus in Eccleſia Romana dubitandi locus remaneat.*

36. Eadem Traditio VI. promicat in Eccleſia Africana ex Tertulliano ſæculi III. Authore, qui lib. de Præſcriptione Hæret. c. 32. ex Eccleſiaſtica Traditionis fontibus offendit, ſingulares in Eccleſiis Epifcopos tum Apoftolis ipſis, tum ſibi deinceps ordine ſucceſſiſſe. *Ceterum, inquit, ſi qua audent ſe interſerere etati Apoftolorum, ut ideo videantur ab Apoſ- tolis tradita, quæ ſub Apoftolis fuerunt, poſſumus dicere: edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant Ordinem Epifcoporum ſuorum, ita per ſucceſſio- nes ab initio decurrentem, ut primus ille Epifcopus aliquem ex Apoftolis, vel Apoftolicis Viris, qui tamen cum Apoſ- tolis perfeveraverit, habuerit Authorem, & Antecſorem. Hoc enim modo Eccle- ſiæ Apoftolicæ cenſus ſuos deſerunt: ut Smyræorum Eccleſia Polycarpum ab Joanne collocatum refert, &c. Et c. 41. Ordinem Hierarchicum inter Epifcopos, & Presbyteros in Eccleſia Orthodoxa mani- feſte ſupponit, dum hæreticos ſequen- tibus pertringit: *Nuſquam facilius pro- ficitur, quam in Caſtris rebellium, ubi ipſum eſſe illic promereri eſt. Itaque alius hodie Epifcopus, cras alius: hodie Dia- conus, qui cras Leſtor: hodie Presbyter,**

*qui cras Laicus. En caſtra Proteſtantium, eorumque Regiminis Eccleſiaſtici ideam in hæretici ſæculi III. initio, à Viro Maxi- mo graphicè depictam. Similia habet idem Author lib. de Bapt. cap. 17. lib. de fuga in perſecutione c. 11. lib. de jejunii c. 13. lib. 4. adverſus Marcionem c. 5. item de pudicitia cap. 19. & tandem de velandis Virginibus cap. 9. Ex quibus conſtat, non ſolum ipſius etate in Eccleſia Africana, ſed Apoftolicis temporibus in Eccleſia univerſa Epifcopatum à Presbyteratu diſtinctum fuiſſe, & Epifco- pos fuiſſe Presbyteros ſuperiores, utique ex Chriſti Servatoris noſtri inſtitutione: hancque fuiſſe Eccleſiæ Africanæ doctri- nam, ex Traditione acceptam. Ejuſdem Traditionis locupleſſimum teſtis eodem ſæculo III. eſt S. Cyprianus, qui in ep. ad lapſos data ita ſcribit: *Dominus noſ- ter, cujus præcepta meture, & obſer- vare debemus, Epifcopi honorem, & Eccle- ſiæ ſuæ rationem diſponens, in Evan- gelio loquitur, & dicit Petro: Ego tibi dico, quia tu es Petrus — Inde per temporum, & ſucceſſionum vices, Epif- coporum Ordinatio, & Eccleſiæ ratio de- currit, ut Eccleſia ſuper Epifcopos conſtituatur, hoc eſt, fundetur. Et ep. 35. Admonitos nos, & inſtructos ſciatis dig- natione divina, ut Numidicus Presby- ter adſcribitur Presbyterorum Cartaginienſium numero, & nobiſcum ſedeat in Clero — & promovebitur quidem, cum Deus permiferit, ad ampliorem locum Religionis ſuæ, quando in præſentiam, protegente Domino, venerimus: hoc eſt, ad Epifcopatum; qui conſequenter, juxta Cyprianum, Presbyteratu ſuperior eſt. Similia habet ep. 52. ep. 12. 28. 68. quorum fragmenta huc pertinentia ad longum reſert Natalis Alex. I. cit. Item Optatus Milevit. ſæculi IV. Author, qui lib. 2. adverſus Parmenium inquit: *Igitur ne- gare non potes — certa membra ſua habet Eccleſia, Epifcopos, Presbyteros, Diaconos, Miniſtros, & turbam Fide- lium,***

lium, &c. Denique, ut Canones Concilio-
rum Africanorum, quos recensere longum
esset, omittamus, eadem traditio probatur
ex S. Aug. qui lib. de Hæresibus ad Quod-
vultdeum cap. 53. inter Aeriæ errores hunc
numerat, quod dixerit, Presbyterum ab
Episcopo nulla differentia debere discerni.
Omitto etiam traditiones Ecclesiæ Gallica-
næ, & Hispanicæ, à Nat. Alex. hic §. 9.
& 10. allatas, sicut & argumentum à Cho-
repticopis huc pertinens, cum illud jam
pertractatum sit hoc Libro Tit. 23.

Objectiones Blondelli diluuntur.

37. **O**ppugnat Blondellus Catholicam
veritatem imprimis ex S. Scrip-
tura: & primo quidem ex cap. 1. ep. ad
Titum, ubi S. Paulus, qualis Presbyter
ordinari debeat probaturus, Episcopum
describit. 2. Ex ep. ad Philipp. itidem c. 2.
ubi plures eodem tempore Civitatis unius
Episcopos agnoscit, his verbis: *Sanctis in
Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum
Episcopis, & Diaconibus; & consequen-
ter eodem jure ex æquo fruentes: qui lo-
eus vel inde urget, quod inter Episcopos
& Diacones Apostolus ibi nullum inter-
medium locum agnoscat; & consequenter
Presbyteros Episcoporum nomine videatur
comprehendere.* 3. Idem S. Paulus Presby-
teros Ecclesiæ Ephesinæ aperte videtur
confundisse cum Episcopis, atque eodem
loco habuisse, dum Act. 20. ita eos allo-
quitur: *Attendite vobis, & universo gre-
gi, in quo vos Spiritus S. posuit Episco-
pos regere Ecclesiam Dei, quod proprie
munus Episcoporum est.* 4. Quia S. Petro
teste ep. I. c. 5. Presbyterorum, seu Se-
niorum est pascere gregem Dei, sic enim
ait: *Seniores ergo, qui in vobis sunt, ob-
secro, &c. pascite, qui in vobis est, gre-
gem Dei.* Ergo æquales fuerunt Episcopis
juxta argumentum tertium. Ex his 5. con-
cludit, quod, cum inter Philippen-
ses, Ephesios, Hierosolymitanos, Pontios,
toto Apostolorum tempore, regimen tale

taerit, ut pluribus una Episcopis, Præpo-
sitis, &c. subiceretur fraternitas, qui
eam in commune regerent, idem regimen
eodem sæculo, & consequenter ex Christi
institutione ubique gentium viguerit. 6. Ex
1. ad Timotheum c. 4. ubi Apostolus ip-
sum monet, dicens: *Noli negligere gra-
tiam, quæ in te est, quæ data est tibi per
Prophetiam, cum impositione manuum
Presbyterii.* Si enim nomine Presbyterii
intelligatur Cætus Presbyterorum: ergo
ad Cætum Presbyterorum spectat ordinatio
Presbyteri, & hic Cætus consequen-
ter est Episcopalis: si autem pro tō Pres-
byterii munus Presbyteriale indicetur,
cum nemo dubitet, Timotheum vere fuisse
Episcopum, gratiam Presbyteralem
quoque esse Episcopalem negare nemo
debet. 7. Ex ep. 3. S. Joann. ubi in Diotre-
phe omnium modernorum Episcoporum
Primum damnavit Apostolus: & conse-
quenter nulli erant Episcopi, qui confor-
mitter ad hodiernam Episcoporum ideam
Presbyteros Ordine & Jurisdictione excel-
lerent, sed Presbyteri solum compares.

38. Respondeo ad I. concedendo,
quod S. Paulus, quos I. cit. v. 5. vocavit
Presbyteros, v. deinde 7. vocet Episco-
pos: sed nego, quod ibi loquatur de Sa-
cerdote secundi ordinis; ut enim vidimus
N. 25. h. T. ex Joanne Chryf. & Cæcume-
nio, ac Theophylacto, per Civitatis Pres-
byteros Episcopos intelligit, quales adulta
ætas habuit. Non ergo duos homines ibi
S. Paulus in unum confundit; sed unum,
qui vel utramque Dignitatem gerat, cum
omnis Episcopus etiam Presbyter sit, vel
solum Presbyterialem, quæ quoad nomen
& dotes cum Episcopali tum coincidebat,
eo quod eadem fere dotes à primis Ecclesiæ
Sæculis requisitæ fuerint in Presbytero,
quæ in Episcopo.

39. Ut II. objectio intelligatur, præ-
mittenda sunt verba Theodoretii in Com-
ment. cap. 3. ep. 1. ad Timoth. ubi asserit:
*Eosdem olim Presbyteros appellatos hodie
Episcopos. Quos autem Episcopos hodie*
nomi-

nominant, tunc Apostolos vocasse. Pro-
cedente deinde tempore, Apostolatus no-
men iis, qui vere Apostoli dicti sunt, re-
liquerunt: Episcopatus autem appellationem
iis imposuerunt, qui quondam Apo-
stoli nominabantur. His præmissis dico 1.
ex hoc Pauli loco tantum sequi, nomen
Episcopi commune fuisse Sæculo Apostolo-
rum etiam Presbyteris, non vero Digni-
tatem, ut ex probatione propositionis pa-
tet. Secundo etiam dici potest, in eadem
Civitate, ob diversitatem dialectus, &
alias urgentes causas, duos ab Apostolis
Episcopos præstitutos fuisse, quod deinde
cessantibus causis abrogatum fuit. Et de-
mum tertio, negando Paulam hanc episto-
lam ad solam Philippensem Civitatem
direxisse, sed ad totam Diocesim. Philip-
pos quoque unius Provinciæ in Macedonia
primam Civitatem fuisse constat ex Act.
16. v. 12. ubi S. Paulus se dicit profectum:
*Philippis, quæ est prima partis Macedo-
niæ Civitas, Colonia; & consequenter
per Episcopos non Presbyteros unius Ci-
vitatatis, sed Antistites totius Provinciæ in-
tellexisse: qui plures absque dubio in illa
Provincia existerent. Quod autem nulla Pres-
byterorum interjecta mentione, Episcopis
& Diaconis illam epistolam inscripserit
Apostolus, inde contigit, quod in illis
Christianæ Reipublice exordiis nonnullæ
Civitates essent, quibus unus Episcopus
cum Diaconis præsidebat; nulli vero,
quos hodie vocamus secundi Ordinis,
Presbyteri: quia tam numerosa non erat
Plebs Christiana, ut Cætus Presbytero-
rum illi necessarius esset. Per quod patet
ad subjunctum.*

40. Ad III. Resp. Munus Episcoporum
esse regere Ecclesiam Dei, ut Summi Præ-
sides, Summi Gregis Pastores; Pres-
byterorum vero, ut Præsides inferiores, &
Pastores subordinati. Si ergo S. Paulus ibi
alloquitur Episcopos unius Civitatis, in-
telligendus est de Pastoribus subordinatis,
nomenque Episcopi Presbyteris imponere,
quod in Actis Apostolorum, Paulique

Epistolis contigisse non negamus. At, &
est responsio secunda, negamus, quod ibi
Genitium Apostolus Alix minori valedic-
turus, & Hierosolymam petituras, loqua-
tur de Episcopis, seu Presbyteris unius
Civitatis, sed de Episcopis Provinciæ.
Tertius hujus veritatis est S. Irenæus lib. 3.
c. 14. ubi de vocatis Miletum Episcopis
aut Presbyteris sermone habito, subdit:
*Ab Ephefo & reliquis proximis Civitati-
bus convocatos esse.* Favetque aperte huic
responsioni v. 31. dicti capitis, in quo so-
laturus Apostolus inquit: *Propter quod
vigilate, memoria retinentes, quoniam
per triennium non cessavi, cum lacrymis
monens unumquemque vestrum.* Certe au-
tem triennio illo lacrymas, monitionem-
que suas solis Ephelis non impendit, ut
aperte loquitur ipsa Actuum hitoria capite
præcedenti.

41. Ad IV. Resp. S. Petrum I. c. Se-
niorum, & Presbyterorum nomine com-
pares, seu paræ authoritatis Presbyteros
non intellexisse, sed Episcopos, qui tunc
etiam Presbyteri, vel Seniores vocaban-
tur, Presbyteri & Senioris voce, ab æta-
tis notione, ad honoris & dignitatis ap-
pellationem translata. Unde S. ipse Petrus
Confensorem se, seu Compresbyterum ibi
vocat, & S. Joannes ad Eletham se Senio-
rem, seu Presbyterum scribit: *Senior
Electæ, &c.* Etio nec ipse Blondellus infi-
ciari possit, Petrum & Joannem Episco-
pis vel Presbyteris à se tum constitutis ma-
jores ordinatione divina fuisse. Vox igitur
Presbyter, aut Senior, alio sensu nunc
usurpatur ab eo, quo in Apostolicis Episto-
lis interdum usurpata est. Apud nos enim
Ordinis & Gradus vocabulum est ab Episco-
pato distincti, illoque inferioris: apud
illos autem reverentia, honoris, & digni-
tatis, utriusque Gradus subinde commune.
Nil ergo ex voce ambigua Blondellus ex-
tendit.

42. Ad V. Resp. hoc corollarium ex
falsis præmissis, nempe, ex quatuor objec-
tionibus, à nobis jam explosis, deductum,
seip-